

MATTSSON, TRANANDER, ERICUS BENEDICTI

**Oratio panegyrica de laudibus  
Westrogothiæ, habita in celeberrimæ  
Svecorum ad salam academiæ collegio veteri  
majori ad diem II Calend. jull, anni reparatæ  
salutis XLVI supra M.Dc. ab Erico Benedicti  
T**

Upsaliæ,imprimebat Eschillus Matthiæ  
1646

# EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



## Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

## EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

## Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

## Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>

TRANANDEK


F 1700  
82 1215

F 1700  
Litt. Nylat.  
Lat. tal.  
Orin  
(A)

VÄSTERGÖTLAND



1646



Oratio Panegyrica

De laudibus

WESTROGOTHIAE,

HABITA

In celeberrimæ Svecorum ad Sa-

lam Academiae collegio veteri majori ad diem

11. Calend. Julii, Anni reparatae salutis

XLVI. supra M. DC.

Ab

ERICO BENEDICTI

IRANANDRO,

S. R. M:is Stip.



Eurip. in Egeo:

τί γὰρ πανθρώπων, ἄνθρωπι φίλτερον χείρονα;

UPSALIAE [1646]

Imprimebat Eschillus Matthiæ.

Handwritten notes in the top right corner: "Lundae Sue. Anno 1705. Edit. 2a. Antea. (1646)"



*Generoso ac Nobilissimo Domino,*

**Dn. IVARO NICOLAI de Ström-**  
**sta & Høltens / &c. Provinciarum Svec. borea-**  
**lium, Gestriæ, Helsingiæ, Medelpadiæ & An-**  
**germanniæ Satrapæ regio.**

**SIMUL AC,**

*Reverendo admodum in Christo Patri ac Domino,*  
**Dn. M. ANDRÆ JOH. Pryn / Pastori Gothobur-**  
**genſi egregio, adjacentium Eccleſiarum Superintenden-**  
**ti meritiffimo, & quod ibi eſt Conſistori,**  
**Præſidi graviffimo.**

**NEC NON**

*Reverendis & Clariffimis Viris,*  
**Gymnaſij Gothoburgenſis Lectoſibus,**  
**M. Jonæ P. Torinio, SS. Theolog. Lect. & Paſtori ac**  
**Præpoſito in Lundby Hiſing.**  
**Dn. Andræ Wirgandro, Log. & Ling. Lect.**  
**M. Nicolao Ramſio, Phyſ. & Math. Lect.** } *digniff.*

**UT ET**

*Venerandis, Doctiffimis, Spectatiffimis, Ampliffimisq; Viris,*  
**Dn. Laurentio A. Kallſ / in** | **Dn. Matthiæ B. Retzio, Illu-**  
**Gälſta Paſt. & Præpoſito vi-** | **ſtriſſ. Stenbockiana familia**  
**gilantiffimo.** | **Camerario prudentiff.**  
**Dn. Benedicto Erici, in Fra-** | **Dn. Nicolao Svenonis, con-**  
**nemo Paſtori impigerrimo,** | **tractuum Hagunda / Blera-**  
**Patri ſuo omni obſervantia** | **âter / Båling & Warala**  
**cultu aternum proſequendo.** | **Prætori circumſpecto, Avun-**  
 | **culo ſuo ac Hoſpiti colendo.**

**Domino gratioſo, Mecœnati ſummo, Fautoribus, Parenti, Cognato & Bene-**  
**fa&toribus ſuis, in grati animi teſteram, hanc qualemqualem oratiunculam**  
**Reverenter ac ſubmiſſe offert consecratq;**

**Ericus B. Tranander.**






S. P. Q. A C A D E M I C O

J. FREINSHEMIUS S. P. D.

**N**on nobis tantum sed Amicis & Patriæ natos esse nos, non minus eleganti quam vera sententia Ciceronis admonemur. Huic igitur, quum ceterorum studiorum nostrorum omnium, quum etiam Literariorum partem haud postremam esse tribuendam ratio dicitur, quam sequutus ERICUS BENEDICTI TRANANDER, juvenis bonæ mentis & doctrinæ sectator industrius, Westrogothiæ meritissimas laudes, quod ea in regione lucem primum adspexit, Oratione Panegyrica explicaturus est. Esse enim hoc boni probandique nati ac alumni recte existimavit, dulcissimæ Matri, atque Nutrici quas posset referre gratias: & quum manu eam defendere vitæ conditio vetuerit; quum alia ratione adhuc ei nulla per atatem & absentiam prodesse datum sit: certe vocis & orationis officio famam ejus extollere voluit, & hoc veluti pignus optimæ voluntatis constituere: quo manifestum fiat Patriæ, quanta postmodum contentione curaque sit ipsi pro virili parte inserviturus, qui nunc etiam longe ab ea disjunctus, & studiis suis intentus, neque memoriam ejus exuerit, & sui temporis usum, sui ingenii vires, suorum laborum fructum, linguæ denique sermonisque sui ministerium encomia Ejus enarrando gratanter impenderit. Certe non est contemnenda isthæc Pietas, quæ utcumque potest, consulere Patriæ studet, laudesque ejus ac decora illustrat, nec patitur insignes ad memoriam res, per silentium ac oblivionem

invidia temporis exolescere. Frustra enim Heroës Prisci  
Regesque ac Populi excellentes domi bellicue maximas res  
gessissent; fortissima edidissent facinora; civitates con-  
stituisse legibus, defendissent armis, exornassent ædificiis,  
omni alio bonorum genere cumulavissent: si fata eorum  
nescirentur, eademque memoriam illorum sepulchra te-  
gerent, quibus sunt corpora condita. Ingens ergo debe-  
tur iis gratia, quorum opera Res ac Viri Illustres ab interi-  
tu & mortalitate vindicantur, præsertim si hoc ad exem-  
plum eximiorum nonnullorum Oratorum, Historicorum,  
Poëtarum feliciter præstiterint: etiam magna his, qui me-  
diocriter sufficerunt huic negotio, neque his etiam nulla,  
qui licet impares viribus, se potius in Virtute celebranda  
susceptæ causæ mole obrui, quam illam oblivionis situ ma-  
luerunt. Vos etiam, ut confido, Patres Civesque Academi-  
ci, facietis honesto instituto, & quibus commodum erit,  
audiendæ hujus Orationis gratia frequentes convenietis:  
quemadmodum etiam, ut ita facere velitis, Oratorique no-  
stro præsentis Vestræ honorem non invidetis, observan-  
ter ac officiose rogamini. Habebitur autem Oratio Hodie  
post Preces Vespertinas, in Auditorio Veteri Majori. Va-  
lete. P. P. Upsaliæ, A. D. XII. Kal. Julias, Anno Chri-  
stiano MDCXLVI.

ORA-



# ORATIO

De

## VVESTROGOTHIA.

Magnifice Dn. Rector, Illustre sac Generosi Dn. Barones, Reverendi, Clarissimi & Experientissimi Dn. Professores, Tuq; Nobilissima, Præstantissima, Doctissima atq; Humanissima studiosorum concio.



Vanquam cum natura sit ita comparatum, ut quisq; voluptate suâ, quæ unicuiq; diversissima constat, trahatur, & quod ab hoc spernitur, ab illo vicissim affectetur, ametur: In patriæ tamen amore pietatisq; affectu omnes convenire, & singulari ceu dulcedinis vi rapi, nemini non in confesso est. Nihil enim in his sublunaribus partibus majorem aut æqualem sibi in nos vindicare posse potentiam, nec quicquam amabilius aut dulcius esse comperimus, hinc Euripides: *Natale solum, ut convenit, gratissimum est hominibus, neq; verbis ejus dulcedo potest exprimi.* Sit namq; Ithaca aspera, sit inculta Thracia, sit Tar-

taria barbara, sic frigida Scythia, sit quæq; deniq; regio horrida atq; infelix, quàm potest unquam; alumno tamen suo adeo videtur & culta, & amœna, & civilis, & dulcis, & beata, ut quidvis ille potius sustinere, quam admirabilem illius charitatem, qua gratissimis detinetur vinctus compedibus, exuere, non dubitet, etiamsi ultra Garamantas vel remotissimos abesset Indos. Enimvero duæ sunt res, quæ longè lateq; nimis inter mortales, diverso tamen modo, suum exercent imperium, Mors scilicet & Pecunia. Hujus quidem dominium, prono ab omnibus animo, acceptatur, Illius autem imperio summa contentione & cunctis, quod ajunt, nervis resistitur. Pecuniam corda humana obsidere, eaq; per fas & nefas quoquo tandem vult convertere, & quasi præpotentem quandam Reginam ac Dominatricem, omnia perdomare; Verùm nihil hîc obtinere potestatis, locuples est experientia testis. Exemplo nobis esse potest illustrissimus Thebanorum dux Epaminondas, quem Diomedonti Cyziceno Regis Artaxerxis jussu pecuniâ corrumpere tentanti, id responsi dedisse legimus: *Nihil opus pecuniâ, nam si Rex vult quæ Thebanis sunt utilia, gratis facere sum paratus. Sin autem contraria, non habet auri atq; argenti satis, namq; orbis terrarum divitias accipere nolo pro Patria charitate.* Quam ad mortem parum propendat humana voluntas, propter acerbissimam & naturæ inimicam animæ à corpore dis-

lolutionem, vitæ tantum prorogandæ causa, diligencia curaq; suscepta liquidò testatur; pro patria tamen suscipitur, non solum ultro & spontanea voluntate, sed fortiter etiam & quadam quasi animi jucunditate, secundum illud Lyrici: *Dulce ac decorum pro patria mori.* Si quis autem sponsores à me postulet, eum quidem ad antiquas historiarum paginas, vel acta superiorum seculorum ablegare, supervacaneum putem; sat multos habebit, si lumina salutem convertere velit ad novissima nostra tempora, & æquâ mentis lance ponderare bellum hocce Germanicum. O Germania! quot in Te pro patriæ nostræ defensione cecidere viri, quot heroës, quot duces! quot cruoris rivuli ex illis oppleti, rapidissimi fluminis instar passim defluerint! nullam Tibi partem autumem superesse, quæ horundem sanguine non sit imbuta; unicum, cujus generosum sanguinem crudeliter libasti, quin præ cæteris nominem, haudquaquam omiserim, **GUSTAVUM** illum **MAGNUM**, Regem nostrum quondam Clementissimû, Heroa incomparabilem, pro aris & focis perquam fortiter depugnantem, cujus virtutes non solum fœderati & amici; verum etiam, quod mirere, ipsi nimirum hostes, imo totus deniq; mundus, haud injuria admiratur, suspicit, veretur.

Cum igitur tam chara tamq; suavis existat patria,

tria, non mirum cuiquam videbitur, si minima ejus cogitatio, rerum aliarum dulcedini palmam præripiat, ejusque memoria animi & pectoris vehementius impressa fibris, unumquemque maximopere afficiat. Et quemadmodum rerum aliarum amores non semper est ut latitent, nec mentis duntaxat & oculorum existere pabulum; verum etiam lingvæ ac palato dulce gratumque obsonium præbere, nos denique persæpè garrulos atque verbosos assolent efficere; Sic patriæ charitas, tanto majores habet vires, quanto ipsa major est, quæ dum alia ratione emanare ac exeri nequit, in vocem erumpit, verba format. Idem jam mihi usu venit, qui dum nulla alia à me exstare potuit illius significatio, non tamen subverebar, homo quamlibet tenuis, nullaque dicendi facultate præditus, ex hoc amplissimo loco, in tanta lectissimorum hominum corona, non dicam verba facere, sed pietatem saltem in patriam meam charissimam, quam Gothiam occidentalem mihi Deus esse voluit, paucis ostendere, eamque non eâ facundiâ, iis oratorum flosculis, quibus illius dignitas meritò depingeretur, sed rudiori tantum penicillo. Vestram A. L. benignitatem, Vestram benevolentiam, Vestrum candorem, summâ contentione summaque animi submissione imploro, detis mihi hanc veniam paulò liberius loquar ea, quæ sentiam

tiam quæq; jubeat pietas, dicet autem patrius amor. Sedulo id quidem cavebo, ne sermonis prolixitas longioris, aliquam vobis molestiam creet.

GOTHIAM (A. L.) quæ nomen suum à primo post diluvium domitore Getharo Noachi pronepote trahit, in tres plagas præcipuas seu partes, occidentalem, orientalem & meridionalem, distingvi, nemo est qui nesciat. Provincias quoq; occidentalis Gothiæ esse Westrogothiam, Daliam & Wermelandiam, quibus olim annumerata est Hallandia, nec alicui obscurum arbitror.

WESTROGOTHIA autem de qua nunc penes vos, A. L. tantum dicere animus gestit, una est ex nobilissimis atq; primariis Sueciæ provinciis, à Gothico idiomate *Wäster* & Gothia dicta, sicut orientalis & meridionalis ab *Öster* & *Söder* / idq; ratione situs, quem ad occidentem in regno Gothico obtinet, cujus fines partim regno Norvegiano, partim mari Britannico, terminantur; quæ verò ad septentrionem vergit Dalia & Wermelandia, ab oriente Ostrogothia & Smolandia, à meridie Hallandia, adjacent. Longitudo ejus ultra XXIV. latitudo XVII. vel XVIII. plus minus milliaria extenditur, non vulgaria illa quidem, sed longiora puta, quorum octo uni gradui sufficienter respondere possunt. Capacitas insuper ejus, non parum patet ex amplissimis, spaciocif-

simisq; quas continet præfecturis, quarum *Rind*  
& *Mard*. adeo sunt amplæ, ut ultra L. paroccias  
haud spernendas, complectantur. Neq; minores  
sunt, *Wasboo* / *Falan* / *Kedhwagh* / *Frolin* /  
*Gudheem* / *Kâlin* / &c. Cæterum natio Westo-  
gothorum certa serie in orbe terrarum ab Historio-  
graphis antiquissima semper habita est, unde & Mo-  
narcharum, Regum & Principum generosissimæ fa-  
milix ortum deducunt. Olim adeo populosa fuit, ut  
quanquam haud sterili esset glebâ. (id. quod postea  
suo loco patebit) ob ingentem tamen incolarum  
multitudinem, in longinquas ac diversas mundi par-  
tes, colonias diducere, atq; terram terra commu-  
tare, necessum habuerit. Nostra hac tempestate,  
ad eundem inhabitantium numerum crescere po-  
tis quidem non est, incredibili tamen eorum gaudet  
abundantiâ. Quam certe provinciam & opibus &  
viris ob sævam hostium rabiem, quam in se illis pu-  
ta vicinam, experitur, dudum non fuisse exhaustam,  
pro miraculo multi agnoscunt: Cum ipsa incur-  
siones, devastationes continuas, cædes & qui sunt  
plures furibundi Martis individui assectæ, exorta-  
inter Nos & Danos dissensione, sustinere cogatur.  
Nam ut quisq; ab igne propius abest, ita vehemen-  
torem illius calorem persentiscit, testantur hoc eo-  
rum templa, testantur passim dirutæ domus, testan-  
tur

tur coloni, mei quoq; charissimi parentes, qui bis ab hostibus spoliati, ejecti & tantum non bonis suis omnibus nudati fuerunt: Altissimo tamen Deo immortales sint gratiæ, qui acerbitatibus hisce finem tandem imponere, atq; nos pace exoptatissima cum vicinis nostris beare dignatus sit, quæ ut firma diuturna; maneat, supplicem eundem Deum immortalem veneror. Sed redeat unde aberravit, oratio.

Quemadmodum W-Gothi olim multi fuerunt, sic etiam præpotentes, ita quidem ut cooptatis sibi regibus propriis atq; principibus, à Svecis & reliquis Gothicis divisi, tam domi quam in exteris, longa annorum serie gubernarentur. Poterit hic alicui mirum videri: qui scilicet factum sit, quod cum tanta fortitudine atq; potentia claruere W-Gothi, Svecis tamen indissolubili vinculo se continuò alligaverint? Huic vero objectioni perspicuè satisfacit gravissimus author Joh. Magnus, cujus adjicere verba lubet. *Gothia, inquit, cum medium locum inter duas potentes & nunquam satis concordēs gentes, videlicet Sveones & Danos sortita fuisset, ne hostibus obsessa, utrumq; latus tueri continenter cogeretur, perpetuam societatem cum Sveonibus, sive quod potentia & opibus præstarent, sive quod eorum mores mitiores essent, inire curavit.*

Cælo gaudet hæc provincia per clementi, mitiq; atq; temperie commodissima, & ad negotiationes & labores perficiendos, prout anni tempora requi-

ant, aptissima. Sunt namq; æstates jucundæ, per-  
amœnæ & temperato calore tolerabiles, non fervet  
globa nimio æstu, nec premitur asperiore gelu.  
Aër non nimis est crassus; sed purus: non nebu-  
losus; sed subtilis, jucundus, salubris, unde nec son-  
ticis, sicut aliæ plerunq; regiones, ob noxia morbis,  
quod W-Gothi Deo Ter Opt. Max. unicè acceptum  
ferendum habent, ipsiq; gratias immortales debent  
exolvere, salvâ enim veritate affirmare ausim, nul-  
lam inibi contagionem ceu sunt: pestilentia, dy-  
senteria, erisypelas (quæ morbi genera alibi multa  
hominum millia demetere solent) per plura retro  
secula compertam fuisse: Si quando vero pestife-  
ræ hujusmodi flammæ adventare atq; irrepere vi-  
dentur, facili negotio & absq; mora extinguntur.  
Etenim reperiuntur ibi per plurimi provectioris æ-  
tatis, ut ita propemodû vulgare sit, ibi videre octo-  
genarios; qui, licet sint ejus ætatis, quæ aut ultimus  
vitæ gradus est, aut ultimo proximus, quem alibi  
non nisi tripodes, silicernia & quibus ob senii mor-  
bum lucis tædium est, ferè scandunt; tamen adeo  
virente senectâ sunt, ut vix annum quinquagesi-  
mum implevisse dicas, idcirco multi eorum virgi-  
nes juvenculas, sibi in matrimonii societatem ad-  
sciscere, atq; ex eis prolem suscipere, consueve-  
runt. Ad solum quod attinet, est id ubivis fe-  
lix.

lix: atq; uber, frugum aliorumq; fructuum ad vitæ  
humanae sustentationem necessariorum ferax, ita ut  
cum quavis beata regione contendere possit. Am-  
biunt namq; terram hanc quaquaversum aquæ sa-  
luberrimæ; quibus enim locis à lacubus non irri-  
gatur, à fluminibus & amnibus jucundissimis allui-  
tur, ubi hæc defunt; præsto est mare, unde vapores  
levissimi exurgunt atq; per glebam deducti ac de-  
lati, eam sic fæcundant, ut nullibi non frugifera ac  
læta esse possit. Est quidem, fateor, quibusdam  
in locis ager, ab eâ parte præcipuè qua meridiem  
spectat, arenosus, sabulosus ac aridus; proventibus  
tamen, tam hybernis, quam æstivis, non ineptus,  
hordei enim copia, tritici, siliginis, lini imprimis  
& cannabis ( nisi Deo ob singularem causam vel  
propter nostra peccata, temperiem aëris, aut in ni-  
mium æstum, aut frigus, aut pluviarum superflui-  
tatem, commutare placeat ) ad necessitatem victus &  
amictus sufficienter intervire valet incolis, ut raro  
eis opus sit frumentum sibi pecunia aliunde com-  
parare. Prata deinde graminibus, herbis ac flori-  
bus fragrantissimis mirabiliter depicta, pingvia pa-  
scua & campos amœnos hæc terra copiose conti-  
net, nec non vastissima nemora & sylvas in ingen-  
tem altitudinem enatis arboribus per plurimas, quæ  
illic herbis & spontè natis arbutis mixtæ; hic den-

ſæ, anguſtæ & confuſæ, alibi raræ, bene ornata, &  
â natura ipſa quaſi in hortulo ab arboratoris ſoler-  
tia ad ordines plantatæ ſunt: unde præterquam  
quod varia animalia domeſtica & ſylveſtria felici-  
ter alunt, inq; umbroſis ſuis latibulis ſovent, edu-  
cunt, ſumman amœnitatem, jucunditatem & com-  
moditatem præbent. Quædam enim abundant ar-  
boribus materiam ædificiis, ſepibus & igni tantum  
præbentibus, ex quibus & pix liquida, indiſtriâ in-  
colarum & beneficio ignis cum magno eorum lu-  
cro elicitur, veluti: *Tivågen/ Xiſweden/ Segre-  
mo/ Stöpen/ &c.* Quædam proferunt arbores  
glandiferas, non ſolum immenſæ altitudinis quer-  
nas (ut jure annoſæ quercus dici poſſint) verum et-  
iam fagineas, inſtar cupreſſi altas, patulas, frondo-  
ſas, immenſam glandium copiam producentes, qui-  
bus, interveniente divina benediçtione, ſuilli gre-  
ges ſaginantur innumeri, ut ſunt: *Edzsweden, Gå-  
laweden/ Jortorpſkogh/ &* plures in confinio Hal-  
landiæ ſitæ. Taceo ſylvas Corylorum, nuces avel-  
lanas optimas in maxima abundantia, annuatim pro-  
ferentes; ut & Tiliarum ex quarum arboribus car-  
bones pulveri nitrato aptè parari ſolent, ex lanugi-  
ne verò inter corticem & lignum inſtar cannabis  
reperta, funes & vincula confici, non ſine ruſtico-  
rum ſummo uſu atq; commodo. Theriotrophia &  
Viva-

Vivaria quæritis? habetis hic plurima, in quibus singulis pæne angulis, diversa animalia audiuntur, cernuntur. An hortulorum delicias & pomaria omni genere felicium arborum, consita vultis? de horum copia penes vosmetipsos judicium esto, montibus hujus provinciæ clarioribus atq; insignioribus, ante oculos vestros à me quasi in tabella ostendendis, laborabo, quod dum facere conor, primò menti obversatur mons ab incolis *Rinnakulle* dictus, qui quidem adsurgit non recto & fastigiato, sed sensim & acclivi ascensu, in tantam tamen sublimitatem, ut in summo montis cacumine constitutis, Phœbus se supra Horizontem rutilando elevans, quasi humilior videatur, quam iis qui ad radicem ejus pedem figunt. Colônis frequens omniumq; rerum ad vitam utilium admodum fertilis, quem non immerito propter miram sui amœnitatem comendat aquilonarium rerum scriptor celeberrimus *Olaus Magnus*: tanta enim suavitate frondium viventium, herbarum germinantium, rosarum ac florum rutilantium, omnigenarum deniq; arborum diverso fructu scatentium superbit, ut incredibile sit locum aliquem præcipuè in hoc boreali orbe posse investigari, quo oculorum cæteriq; animi & corporis sensus, dulcius aut jucundius pasci possint, Est namq; verè

*Hic ver purpureum, variis hic  
Fundit humus flores* - - -

Vera hîc gaudiorum amœnitatisq; sedes, hîc mala dulcia, hîc Pyra, pruna, cerasa delicatissima & qui sunt fructus alii, quibus pro mensa secunda uti solemus. Hîc quoq; cernere est quomodo saxa grandia è lapidina evellantur, quæ postquam dolata ac figurata fuerint, ad templorum ac ædificiorum muros exstruendos, nec non mortuorum tumulos signatis carminibus exornandos, veluti marmor vel alabastrites optimè conducunt. Non minori amœnitate occurrit mons **Billingen** / quem quidem pari altitudine porrectum non invenio, verum latius amplitudine ad milliaria aliquot expansum, hortis pulcherrimis, sylvis frondosis, herbidis pratis, rosariis svayissimis undiq; circumcinctum, atq; in summitate lacubus non paucis ornatum. Sed fere præterissem **Hundeberg** / cæteros magnitudine & vastitate longe superantem, quæ petra, inter alia, hoc habet commodi, quod adventante hoste, illuc se confestim cum bonis mobilibus suis omnibus, conferunt proxime habitantes, ibiq; ab hostili impetu, tuti manent: adeo enim abscissis & abruptis jugis horret, & non nisi perpaucissimi iiq; angustissimi & proinde difficilissimi sunt aditus. Sylvis quoq; imensis ferarum copiâ gaudentibus, superbit, item lacu-

Lacubus in summitate XXI V. unde fontes amnesq;  
plurimi manant, indeq; originem trahunt, farinarum  
molas descensu suo rapido, in gyrum agentes. Præ-  
ter hos sunt & plures non ignobiles montes, quæ m-  
admodum Hall, Mösseberg / Allebergh / Wallekul-  
le / Gyspergh / qui expansi immensis suis jugis, se-  
se eminus adventantibus denso cyaneo colore, quasi  
pensiles nubes jucundè ostendunt, quos hic, ne pro-  
lixior sim, sicco transeo pede. Quot choros ali-  
tum (A. L.) hisce in campis, sylvis ac montibus cir-  
cumvolitare putatis, quæ jam per viridantium ramo-  
rum intervalla, amabili quadam petulantia, desul-  
tant, jam consonâ atq; temperatâ cantus harmoniâ,  
aerem demulcent, quibus nullæ tibiæ, cythara nul-  
la, vel alia ex arte instrumenta musica pufata, æquè  
respondere valent? Quamprimum hyems & frigus  
recedere, & Sol arietem tangere videtur, redeunt a-  
laudæ, redeunt merulæ, redeunt upupæ & garrulæ  
acanthides; has comitantur cardueles, fringellæ,  
sturni, motacillæ & palumbes raucæ; quas etiâ sub-  
sequuntur hirundines veris lætæ nunciæ, ut & cucu-  
lus nec non philomela omnibus gratissima. Libe-  
ralitatem præterea soli in alendis aliis animalibus  
tam sylvestribus quam domesticis, cum in cantan-  
tium harum volucrum inciderim commemorare me  
debere video. Quippe W-Gothiam hanc ob caus-

ſam merito extollere licet, ſunt namq; ibi, quæ ad  
aucupia invitent, cum alia, tam urogalli, turdi,  
altagines, turtures, perdices, &c. Quæ autem  
ad venationem exſtimulent, inter alia ſunt: Al-  
ces, lynces, urſi, cervæ, damæ, hinnuli capreoli,  
vulpeculæ, meles. præſertim lepores, &c. Sed de  
pecoribus bobus & armentis, quid dicam? quorum  
tanta ubertate, ut mugitu, balatu paſtorumq; mixtim  
tibijs nemora, ſylvæ, montes, campi imo ſaltus u-  
biq; reſonent, quod verum eſſe docet exquisiti de-  
licatiq; ſaporis caſei, qui uberrimo incolarum quæ-  
ſtu per univerſam Sveciam deſertur. Nec obſcure  
idem comprobant tauri, quorum aliquot myriades  
quotannis dividendi cauſa, è W-Gothia ad Cupri-  
montanos & ad cæteras oras Uplandicas, aguntur.  
Simili modo & equi, etiamſi humiles & depreſſi, ad  
onera tamen perferenda & longiſſima itinera conti-  
nuanda minime inepti: compenſat enim eam quæ  
deſicit magnitudo corporis, viuum robur. Lupus  
autem quadrupedum hoſtis infeſtiſſimus, vix hiſce  
in terris videtur. Si verò unus vel alter identidem  
adventat, conſeſſim omnes ruſtici præfecturæ uni-  
us ad minimum, vel etiam plurium parocciarum de-  
nunciatione, quæ fit per bacillum (vulgo *Budſaffe*)  
convocantur, qui feram hanc aut capiunt, aut è fini-  
bus exturbent, ne pecora illorum morſibus ſuis ap-  
petere queant.

Abun-

Abundat insuper hæc terra, ob uberrimam florum copiam apum mellificiis, quæ ingentis animi animalcula, politiam suam admirabilem constituentia societatem vitæ humanæ, veri regiminis formâ perfectam, ad vivum adumbrant. Gubernator enim Reipubl. & pace & bello habet, quam eorum in Rege notet prudentiam, habent quoq; itidem subditi & officarij tam superiores quam inferiores, habent & studiosi ac literarum sectatores in eis exemplar egregiû, nec non mechanici & artifices reliqui, quod ne & tempore abuti, & Vestram benignitatem male collocasse videar, nunc prætermitto, & ad alia propero. Atq; primò fontes paululum adire lubet, quorum venæ, haud aliter ac sanguinis in microcosmo, profiliunt terramq; irrigant, tam uberes ut molarum rotas interdum rotare queant. Aquam tamen præbent jucundam, dulcem oculorumq; pastum optimum, quæ frigidissima hyeme quasi tepida, & velut in cacabo Vulcani adjumento calefacta: Æstate autem calidissima frigidior emanat, viatoribus & sitientibus animalibus, acceptissima. cujusmodi multa illuc perpetuo convolant. Ex his duos qui celebriores censentur nominare sufficiat, quorum alter prope villam *Huseby* ebullit, cujus unda *S. Sigfridus*, circa annum Christi (ut volunt Historiographi) nonagesimum octogesimum, Regem *Olaum* *Skottkonna*

**B**anung factum Christianum cum tota sua familia, ba-  
ptizavit, unde & fons nomen de hujus Episcopi no-  
mine in hunc usq; diem retinet. Alter prope op-  
pidum **S**ofide abundanti aqua è terra subsultat, no-  
bilissimæ viduæ Schedviensi ob singularem pietatem  
& raras matronarum virtutes, S. Helenæ consecratus,  
ipsumq; in honorem tectus sacello, ab ipsis funda-  
mentis ad fastigium usq; lapidibus eleganter exstru-  
cto, intus verò sub testudine pulchris ac vetustissi-  
mis picturis splendente, nunc autem propter super-  
stitionem ibi à vulgo olim exercitatum neglecto, &  
ad ruinam festinante.

E lacubus primas tenet **W**ener/magnitudine &  
vastitate mirabili, ut non injuria maris nomen mere-  
ri videatur, populosas insulas gremio suo fovens non  
pauca, ædificiis & templis egregiis exornatas. Ad-  
littus emporia & civitates insigni structura ædifica-  
tæ, item nobilium ac generosorum ædes per plurimæ,  
quarum splendidissima emicat **S**ectob arx illustrissimi  
Comitis Delagardie, in alta rupe erecta, circa quam  
puteus conspicitur ad profunditatem in dura sili-  
ce, centum & amplius pedum, non tam acuto ferro  
incisus, quam pernis porcinis, & Vulcani ope adhibi-  
ta, excavatus. Ab hoc lacu secundas tenet **W**eter/  
qui Gothicam terram in occidentalem & orientalem  
distingvit, figura oblonga, vasta quoq; insulam uni-  
cam

eam saltem in sui mediotullio; arce nobilissimâ, tem-  
plis & Scholâ, celebrem, ambiens. Aquam insuper  
habet, viridis quidem coloris, limpidissimam tamen,  
atq; adeo pellucidam, ut per ejus diaphanum num-  
mus in altissimum fundum projectus, liquide ac clarè  
oculis cerni possit, quemadmodum Olaus Magnus  
uberius demonstrat. Sunt præterea *Nas Hunden/  
Lyngner / Structnen / Mjör / Anthen / Orstö / plu-*  
*resq;* alij, vario piscium genere abundè fequentes.

Ex horum aquis fluvij & flumina proveniunt fe-  
re innumera, inter quæ amoenissimi & suavissimi pan-  
duntur campi, ubi colles & monticuli ab eis remo-  
tius paulo discedunt, quorum quædã versus septen-  
trionem, quædam versus meridiem labuntur. Quæ  
autem versus meridiem cursum suum dirigunt, tria  
sunt primaria: *Leda / Wist* & omnium famosissi-  
mum ac maximum *Trollheeta* sive pileum Plutonis,  
ita dictum, partim propter horribilem sonum atq; in-  
auditum murmur ac strepitû, ex immenso abruptoq;  
aquarum lapsu progeneratum, partim propter suspi-  
cionem speluncæ, ibi angusto & lubrico quodam ac-  
cessu existentis, quondam furibus latronibusq; infa-  
mis: Quibus hyeme quadam ob fumi exhalationem  
investigatis, locus post hujusmodi hominibus purga-  
tus est. Est hoc flumen plane singulare, quod eoque  
peregrini à nostratibus, quam primum eorum terras

invisere solent, naturam ejus percontari incipiunt; quandoquidem magno cum fremitu, è **Wener** erumpit, ac per vastissimas rupes fluens, raptis secum undiq; amnibus & torrentibus, tandem circa castellum **Bohus** & arcem munitissimã **Elfforg** binis amplissimis ostiis, quibus cingitur insula **Hisingen** in oceanum se ejicit. Quam multæ ac ingentes lignorû, trahibium malorumq; rates, ut & triremes, ferro in longas & graves laminas diducto, onerata è **Dalia** & **Wermelandia** alijsq; locis per hoc flumen descendant, quæ adjacentibus maximo in lucro sint, à me nunquam satis dici potest: nec sine admiratione videre est quomodo trabes & mali cum præcipitantis aquæ decursu, per horridas istas fauces, quasi ad abyssum tendant, quorum nonnulli petreis crepidinibus transversim illisi, jucundum quoddam spectatoribus aliis, triste yero possessoribus præbent spectaculum in frustra dissilientes. Laminas cupreas & ferreas & alias res exonerari viaq; terrestri curribus vehi, necesse est; verum sinmine mitiori factò, lembi iterum parati jacent, qui exonerata recipiant, & ad loca destinata convehant. Nec transitum prohibet, abruptio aquarum apud lilla **Eedh**/ ibi namq; canales cum portis artificiosè parati, in monte prope ripam, eos demittunt, tenentur tamen transeuntes Regi telonium solvere justum. Flumina majora versus septentrionem

nem in *Wener* illabentia sunt: *Tida/Tida/Mos*  
cum pluribus aliis, quæ omnia rursum, cum ostio il-  
lius supradicto *Trolhetta*/ unanimiter in mare (sicut  
omnes aquæ, perpeti & prono cursu illuc feruntur)  
se exonerant. Sed hæc de aquarum abundantia  
dicta sufficiant, nunc ad structuras & ædificia publi-  
ca me ut convertam, tempus postulat. Ut autem  
nihil dicam de *Claustris* & *monasteriis*, quæ ob mo-  
nastica scelera sub papatu commissa, diruta; neq; de  
arcibus, siquidem & illæ (binis saltem exceptis) so-  
lo æquatae sunt, nomen tantum posteris relinquen-  
tes, ut merito cum illo deplorandum arbitrer: *nihil*  
*esse sub Sole stabile!* Ubi enim *Arx* splendidissima *A-*  
*ravifensis*, quæ circa annum Domini 955. feliciter flo-  
rere visa est? Vix ulla ejus nunc vestigia reperiun-  
tur. Ubi *Oppenstein*? Ab *Engelberto Dalakarlo*  
circa annum 1474. destructa. Ubi *Dresteen*? com-  
munes nimirum sensit ruinas. Sic quoq; *Arx* fir-  
missima *Gullborg* A. C. 1611. idem perpeffa est.

Ex Civitatibus autem, quibus elucet hæc mea  
*Patria*, vetustate omnes antea *Stara*/ metropolis  
*Gothorum* antiqua & sedes regia, à *Scarino Rege* in  
loco satis amœno, primò fundata nomineq; condi-  
toris insignita, olim templis, monasteriis (quorum  
vestigia & rudera adhuc cernuntur) præter alia ædi-  
ficia regiae magnificentiae, mirum in modum conde-

corata, nunc saltem clara ob sedem Episcopalem,  
Templumq; cathedrale, quod ex solido ac Dædali  
arte dolato lapide fabrefactū, atq; tam rara industria  
expolitum est, ut vix hominis ingenio exstructum,  
sed potius enatum videatur, monumentis deniq; he-  
roum marmoreis, picturis egregiis, campanis & or-  
ganis dulcisonis, choris & columnis plurimis, undiq;  
comptum est. Quibus accedit Gymnasium inclu-  
tum, nuper à Ser.<sup>ma</sup> R<sup>a</sup> Majestate institutum. Sub-  
sequitur urbs amplissima Gothoburgum, quæ quam-  
quam antiquitate cum reliquis Sveogothia civitati-  
bus certare non audit, puta quæ hoc nostro seculo,  
ante annos XXX. & quod excurrit, æpta sit ædificari;  
habitatorum tamen industria, magnificis ædium stru-  
cturis, validissimis mœnibus ac propugnaculis aliisq;  
rebus, quarum post paulo mentio fiet, urbium Sve-  
ciæ illustriorum (Holmiam semper excipio) princeps  
cluit. Vulgo audit *Götheborgh*, quasi dicas muni-  
mentum, fortificium & propugnaculum Gothorum;  
idq; non injuria: Etenim beatissimæ memoriæ Rex  
nunquam sine laude loquendus, *GUSTAVUS ADOL-  
PHUS*, opportunitatis loci ratione habita, dicto tem-  
pore, pulcherrimæ huic urbi, prima præsens dedie  
fundamenta, suisq; manibus mœnia atq; portus qui-  
bus nunc gaudet, ad amussin delineavit, plateis, qui-  
bus intus Scinditur ad angulos rectos, directis. Re-  
puta-

putavit scilicet nobilissimam hanc urbem non infirmum Gothorum propugnaculum futuram, ob crebras præsertim Cimbrorum in Syeciam irruptiones. Quantum autem hoc laudatissimi Regis consilium patriæ profuerit, præcipue nuper evoluti anni, & tempestas illa, inter nos Danosq; oborta, clare testantur: Quotiens acerrimus Te, Gothoburgum, hostis tetrico vultu ac torvis oculis aspexit? Quotiens Tuam fidem periclitatus est? Quotiens Te missis tabellis, nunc verborum blandimentis ac pollicitationibus, nunc ferrum ac flammam minitando, ad defectionem sollicitavit? Hæc secundum Deum immortalis pijssimi Regis prudentia; Hæc Tua & militum nostratum incredibilis virtus, infestum hostem vicit, repulit, profligavit, pudore affectum & gradum referre coactum. Sed quoniam hæc belli rabies desevijt, almaq; pax restituta est, sanatum vulnus talia ulterius commemorando, refricare nolim. Versatur mihi sane ob oculos optima Tua Respublica, permutuam civium concordiam ac benevolentiam mirum in modum aucta! Consules Tui prudentissimi; Amplissimus Senatus; Templum Gustavianum & Germanum, in quibus sincera Dei oracula enunciantur; Schola à dignissimis viris administrata; Amnis in urbem derivatus; pontes ultra duodecim quibus civitas committitur; bina ista celsissima promontoria

mol  
D  
intra

intra mœnia conclusa medio interjacente portus ostio, quæ hostilem naviculam nullam urbi appropinquare, nedum intrare permittant; ædificia cocto plerumq; latere mira dexteritate erecta; captura pisciû ad stuporem usq; prænobilis. Longum foret A. L. singulas ornatissimæ hujus urbis commoditates enarrando persequi. Cæterum oppida & emporia, quæ continet hæc patria mea charissima sunt: Mariæstadium ob eminentiam superattendentiæ perquam celebre; Deinde Ludosia, Lidecopia, Bretta, Hio, Bogesundia, Alingsåås, Falccopia, Boråås, quorum omnium laudes non exiguæ; Sunt namq; in iis mechanici, artifices & opifices industria præsignes, sunt qui metalla non solum secundaria; verum etiam puriora atq; nobiliora pandere, diducere, perpolire & celare sciunt. Sunt & Apellis æmulatores naturæq; imitatores, qui penicillo atq; colorum varietate homines ad vivum depingere, ut & omnis generis bestias, flores & innumera alia affabre noverunt. Sunt etiam qui organa, barbita, clavicordia variaq; alia instrumenta Musica conficiendi artem callent. De textoribus autem nihil dicam, cum quælibet rustica, præter alias telas, linteum adeo tenerum contextat, ut ab omnibus meritissimò commendetur, utpote quæ colo telæq; dedita, inter lucubrantes ancillas media, pensa distribuens semper sedeat cantillans. Incolarum:


Iarum mores ac ingenium ulterius si quæ fiveris? sunt  
quidem simplices, sinceri, candidi, aperti; corporis  
tamen dotibus elegantes, nec non ad omnem huma-  
nitatem (ut ipse fatetur Joh. Magnus) propensiores,  
ac imprimis artium liberalium amatores. Dicat au-  
tem quis: Westrogothiam quidem Tuam, bonis om-  
nibus mundanis, quæ sane regio sibi ulla optare po-  
test, excellere percepi; verum & alia quæ potiora  
sunt præterea requiruntur, quorum ergo cætera om-  
nia proveniunt atq; oriuntur, bona nempe spiri-  
tualia, h. e. pietas, religionisq; integritas, sine qui-  
bus nulla civitas, Respublica nulla, jure felix audit?  
Fateor quidem eam ad tria ferme añorum millia cum  
reliquo orbe arctoo, sine salutari Dei agnitione in  
vanitate sensus sui ambulasse, dirâ involutam caligi-  
ne, purâ atq; sincerâ religione, quam à Noacho in-  
corruptam hauserat, insuper habita, Deosq; manibus  
humanis fabricatos coluisse, & præter alios, quorum  
innumerus pœne erat numerus, tres istos præcipuos  
**Thor / Odhen & Frigga** hic Ubsaliæ cum cœteris  
Sveonibus veneratam esse, quibus & homines (hor-  
ribile dictu) immolabantur, quorum fanum & auro  
splendidum & aurea catena circumcinctum, extitit.  
Sed æterno Deo æternæ sint laudes, qui Sathanæ fu-  
renti frænum injecit, nosq; ab hisce errorum tene-  
bris eductos, clarissimo purioris religionis Soli, resti-


tuit. Et licet ad centum sexaginta annos passim in  
Svecia ante Regem antememoratum, Olauum **Sloff-**  
**sonung**/ verbum Dei radices nonnullas egisse, me-  
moriam proditum sit; per eum tamen fixit firmiores,  
exoravit namq; per legationem, amicum suum inte-  
gerrimum Milredem Regem Anglorum potentissi-  
mum, ut sibi viros aliquot, Christianæ religionis gna-  
ros, mitteret. Anglus autem, hac de re habito con-  
silio, Episcopum Eboracensem qua fieri potuit fe-  
stinatione, legavit. Cujus de adventu certior fa-  
ctus Rex, qui tum in westrogothia substiterat, eum  
confestim, ad se per legatos solenniter deducendum  
curavit, qui statim ipsum Regem, ejus familiam &  
totam deniq; w-Gothiam ad Christianam fidem con-  
vertit, conversamq; (ut verbis Joh. Mag. utar) sacri  
baptismatis unda perfudit. Atq; sic w-Gothi pri-  
mi fuerunt in his septentrionalibus terris, qui reli-  
gionem Christianam susceperunt, idq; tanta alacri-  
tate atq; fructu, ut parum post hujus Regis obitum in  
Episcopatu Scarenfi M. & C. templa divino cultui  
erecta fuisse memorentur, quem Ecclesiarum nume-  
rum postmodo tanquam supervacaneum diminutum  
videmus. Floruit quidem ad tempus Ecclesia sin-  
cera, verum non diu, sed jactata est tanquam cymba  
procellis in undoso atq; inquieto mari, inter errorum  
pontificiorum scopulos, quos Episcopi haud pauci a-

cerrimè defendebant, usq; ad Svenonem Scheningensem, qui in catalogo præfulum Scarensum quadagesimus quartus, recensetur, dogmatis Lutheri apud eos primus. Ex quo tempore, Evangelium Christi cum vero usu sacramentorum, purum atq; sincerum à moderatoribus & Ecclesiarum ministris, non mercenariis, sed fidelibus; non conductis, sed à Deo vocatis, prædicatur. Habemus celeberrimum illum Theologiæ Doctorem Dn. Jonam M. Wexionensem; habemus præclarissimum virum M. Andream Pryn Superattendentem Gothoburgensem gravissimum, pluresq; viros solidâ doctrinâ imbutos, quos hic enumerare nimis longum foret. Habemus Gymnasium, habemus Scholas & seminaria Republicæ, ubi juventus à Rectoribus fidelissimis, in artibus liberalibus optimisq; moribus assidue instruitur, & postquam ibi jecit fundamenta, uberioris eruditionis ac doctrinæ ergò se ad Academias ut ut remotissimas, conferre non dubitat, præcipue autem hoc regium Lyceum tanquam matrem & Musarum sedem imprimis petit, ubi nullus sedulo suum officium faciens sine fructu unquam dimittitur. Gaude idcirco, Patria mea charissima, exulta in Domino cordis læticia. Tu quæ sæpe & haud ita pridem quasi inter malleum & incudem, armorum sævitia pressa jacuisti, nunc iterum erecta viges, floresq; Va-

Te, vive atq; his benedictionibus ad mundi usq; finem perfruere.

Jam de rebus gestis ac Westrogothorum præclaris factis aliquid mihi esset dicendum, siquidem constat eos & domi & in exteris bellicosissimos semper extitisse, atq; eam ob causam jure ipsis datum est pro insignibus, Leo semiaureus & semicæruleus in clypeo persimili, bina inter Sydera cursum meditans; hi namq; fuerunt qui Italiam, Thraciam & Mysiam armata manu ingressi sunt; qui ductore Rege Alarico, Romam septicollem superbam gentium dominam ceperunt; qui in Hispania annis trecentis feliciter regnaverunt, adeo ut ipsi Hispaniarum Reges à nobilissimo W-Gothorum sanguine sese oriundos gloriantur; Hi fuere qui Danos circa villam Lena / aperto in campo, tam cruenta clade fuderunt, ut ne nuncius quidem superesset. Quandoquidem autem melior pars temporis effluxit, mihiq; constitutum est. non omnes eorum res præclare gestas enarrare; sed indicasse duntaxat sufficit, ut ex ungue leonem agnoscere, ex paucis multa colligere possitis, orationis filum abrumpam; prius tamen ad Te, Deus æterne cœli & terræ creator, mentem oculosq; converto, conserva Reginam nostram Clementissimam CHRISTINAM AUGUSTAM, mitte de cœlo sanctos Tuos angelos, qui eam in omnibus viis suis custodiant, qui ab omni malorum impetu protegant; tege illius Consiliarios omnesq; Imperij ordines; tutare Westrogothiam cum universa patria nostra Svecia; fove hanc regiam Academiam & reliquas patriæ Scholas, omnesq; tam docentes quam discipulos, ut nunquã à Te Tuoque verbo declinent; Et transacto tandem vitæ curriculo, nos ex hac terrestri patria, ad Te in beatam illam cœlestem transfer, ubi gaudium & pax vera in omnia secula vigebit.





[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)